

28

SIEBZEHNTER JAHRESBERICHT  
DES  
STEIERM. LANDES-  
UNTERGYMNASIUMS  
ZU  
PETTAU.

VERÖFFENTLICHT AM SCHLUSSE DES SCHULJAHRES 1885/6.

---

**INHALT:**

1. QUÆRITUR, TACITI GERMANIÆ QUI CODEX AUT QUI CODICES OPTIMI SINT. VOM  
GYMNASIALLEHRER FRANZ ŽELEZINGER.
2. SCHULNACHRICHTEN. VOM DIRECTOR.

---

PETTAU 1886.  
IM SELBSTVERLAGE.



## Quaeritur, Taciti Germaniae qui codex aut qui codices optimi sint.

Massmanni, Mauricii Hauptii, Adolphi Michaelis, Muellenhoffii, Holderi egregia industria indefessoque labore id effectum est, ut de universa scripturae varietate ex codicibus eruta ubique fere liquido constet. Innotuerunt et collati sunt omnino viginti vel duodeviginti (de duobus enim res est ambigua), quorum notas a Massmanno usurpatas hic apponamus.

- I, **A** — cod. Arundelianus, qui vel Oxonii vel Londinii in museo Britannico asservari dicitur, sed nunc non amplius comparet;
- II, **B** — cod. Bambergensis, a Fr. Modio in usum Lipsii collatus, sed et ipse deperditus;
- III, **F** — cod. Florentinus, bibliothecae Laurentianae, saec. XV, membran.;
- IV, **H** — cod. Hummelianus, olim Frid. Hummelii rectoris scholae Altdorfiensis, deinde Christ. Theod. Adam. Dorfmuelleri, pastoris et rectoris Werdeniensis; saec. XV, chartac. Alfredo Holdero hic codex optimus esse videtur.
- V, **K** — cod. Kappianus, olim Kappii Baruthini, nunc bibliothecae reg. Monacensis; desunt capp. 1—8, 44—46; saec. XV, chartac.;
- VI, **L** — cod. Londinensis s. Harleiensis; saec. XV, chartac.;
- VII, **M** — cod. Monacensis; saec. XV, chartac.;
- VIII, **N** — cod. Neapolitanus, olim Romae Farnesianus, bibliothecae reg.; saec. XV, membran.;
- IX, **P** — cod. Pontani Lugdunensis, bibliothecae universit. XVIII. Periz. c. 21, ab Jac. Perizonio bibliothecae univers. legatus; a. MCCCCLX martio m̄se .i., membran.;
- X, **R** — cod. Romanus Vaticani n. 4498; saec. XV, membran.;
- XI, **Ra** — cod. R. V. n. 1862; saec. XV, chartac.;
- XII, **Rb** — cod. R. V. n. 655; saec. XV, membran.;
- XIII, **Rc** — cod. R. V. n. 1518; saec. XV, membran.;
- XIV, **Rd** — cod. R. V. n. 2964; saec. XV, chartac.;
- XV, **Re** — cod. R. V. n. 1795; saec. XV, chartac.;
- XVI, **Rf** — cod. R. Angelicae bibliothecae (Augustinorum); a. 1466, chartac.;

- XVII, **S** — cod. Stotgardiensis, cod. hist. IV, n. 152; saec. XV, chartae;  
 XVIII, **T** — cod. Turicensis, bibliothecae Carolinae; desunt capp. 8—16;  
 a. 1502, chartae.;  
 XIX, **V** — cod. Venetianus, appendix miscellaneorum classis XIV, n. 1  
 codd. Latt.; a 1464, chartae.;  
 XX, **W** — cod. Vindobonensis, bibliothecae caes. et reg.; saec. XV,  
 membraneus.

### I, Germ. cap. II, 8 (Legimus secundum Holderum.)

**P:** *ni, si | patria sit;*

**Rc:** *ni | si p. s.;*

**RbfFL:** *nisi p. s.;*

**HTS:** *nisi sibi p. s.;*

**VMNRade:** *nisi st.\*)*

**P** pro **nisi** plerumque scribit **ni**, rarius solutis litteris **nisi**. Scripserat ergo hoc ipso loco **nisi**, mox separandum sibi esse **ni** et **si** intellegens. W\*\*), Ms., L., K., R., Mh., Bst., B. hoc loco legunt: **nisi si**;  
 Hlt., H.: **nisi sibi**.

**nisi si** p. s.] Germanice: außer wenn es das Vaterland ist (Bst.); außer, (ausgenommen) wenn es das Vaterland sein sollte (Nos). — **nisi sibi** p. s.] = wenn er es nicht zum Vaterland haben sollte. Primum quia «nisi sibi» absonam quandam continere vocem videtur, quam a Tacito esse factam eo minus credere possimus, quod «sibi» ad facilius hunc locum intellegendum non est necessarium, sed ut demonstrabimus, vitiosum; deinde si Tacitus «sibi» scripsisset, certe «nisi illa (sc. Germania) sibi p. s.» scripsisset; tum hoc loco omnino non «sibi», sed «ei» scribendum erat, quod Tacitus Germaniam describens suam tantum, non alterius personae (h. l. praecedentis «quis») opinionem dicere potuit. Quas ob causas existimamus «sibi» esse

\*) Sub hac linea posuimus lectiones, quas nobis praebet Holderus in editione sua Germaniae: sibi HS, si MA. Holderus has codicum notas usurpavit:

H = cod. Hummelianus.

γ = archetypus codicum M et S.

M = cod. Chiemensis nunc Monacensis lat. 5907.

S = cod. Comburgensis nunc Stutgartiensis.

α = consentientes A' et Perizonianus vel A' et α.

A'' = A et α inter se congruentes.

A = cod. Vaticanus 1862

α = editio Viennensis s. a. (1509)

A' = archetypus codicum A et Perizoniani.

\*\*\*) Bm. = Bacmeisterus, B. = Baiterus, Bst. = Baumstarkius, Bk. = Bekkerus, G. = Gantrellius, Gl. = Gerlachius, Gb. = Gruberus, Hl. = Halmius, Hpt. = M. Hauptius, Hf. = Hirschfelderus, H. = Holderus, Hlt. = Holtzmannus, K. = Kritzius, L. = Loewius, Md. = Madvigius, Ms. = Massmannus, M. = J. Muellerus, Mh. = Muellenhoffius, N. = Nipperdeyus, P. = Prammerus, Rb. = O. Ribbeckius, R. = Ritterus, Th. = Thomasius, T. = Tueckingius, Sch. S. = Schweizer-Sidlerus, Wn. = Wackernagelus, Wtz. = Waitzius, W. = Waltherus, Wfl. = Woelfflinius.

repudiandum. «Nisi si» autem praeterquam quod et aliis locis, ut Tac. ann. VI, 25. XV, 53. Agr. 32. Cic. Catil. 2. 4. Quintil. 4. 1. 70 pro «nisi forte» saepius invenitur et hoc loco difficilior est lectio et meliorem habet vocem, etiam id agit, ut condicionalis ratio atque exceptio optime confirmetur. Cf. Caes. de b. G. comm. I. cap. 31. Cic. de or. II, 58, 237. Id. fam. 14. 2. Cornel. Nep. XXV, 13, 2.

## 2, Germ. II, 19

**P c. cet. omnibus:** *natiōis nom̄ nō gētis;*

**M:** *non genti se valuisse;*

**S:** *coaluisse.*

Editorum maior pars: *nationis nomen, non gentis;*

**K:** *nationis nomen in gentis;*

T. (a. 1885 ed. VI.): nationis nomen, non gentis. Sch. S. dicit Halmium legere «nationis nomen in gentis» et Hf. his verbis commentatur «nationis nomen, non gentis»: „... non opus est igitur Broterii coniectura «in gentis»“. Omnium fere codicum lectio «nationis nomen, non gentis» Kritzio aperte corrupta videtur. Falso. Sensus enim huius loci est: non omnes nationes, quae ab Romanis «Germani» appellabantur, initio commune nomen «Germani» habuerunt. Itaque non gentis Germanorum nomen evalescere potuit, sed eius nationis tantum aut earum nationum, quae primae Rhenum transgressae Gallis, qui finitima loca incolebant, expulsis ab hostibus «Germani» appellatae sunt. Ita non gentis, sed nationis tantum nomen eo quidem evalescere potuit, ut omnes primum a victore ob metum, mox etiam ab se ipsis invento nomine Germani vocarentur. Ex Caesare (de b. G. comm. II, 4 fin.) et Tacito patet «Germanorum» vocabulum primo appellativum fuisse, non proprium, id quod confirmatur etiam verbis «Germaniae vocabulum recens et nuper additum». Nomen non esse Germanicae sed Celticae originis docuit H. Leo in praelect. de histor. Germ. vol. I, p. 191 sq. 1854 (Cf. J. C. Zeussius. Gramm. Celt. part. 2. p. 735 a. 1853), deducendum esse a **gair** vel **gairm** = clamare; unde **gairmmon** est **clamator** i. e. vir fortis, bellator strenuus. Ex qua potestate pendet iusta verborum sequentium «ob metum» interpretatio. Tacitus «nationis nomen non gentis» brevius dicit pro «ita nomen, quod nationis nomen fuerat, non gentis, evaluit». Verbum «evaluisse» hoc loco absolute ponitur et satis habet, quo referatur; pertinet enim ad «ut», cuius particulae ratio haec est, ut epexegesi adiungat, qua modus evalescendi explicetur. Praegnanti sensu igitur est = «eo quidem modo, ut» = «ita quidem, ut». — Quod cum Kritzius non intellexisset, «in gentis» scripsit. Codicum lectio sic est interpretanda, ut «ita . . . paulatim» principalem contineat sententiam, «ut . . . vocarentur» autem efficiat epexegesi.

## 3, Germ. II, 20

**P:** *mor ēt a se ip̄is;*

**Ra:** *mor etiam a se ipsis;*

**RbcfFVSAH:** *mox et a se ipsis;*

**M:** *ob metu ñno 4 et a se i.*

W., Ms.: *mox a se;*

K., R., Hlt., T., Mh., Bst., Sch. S.: *mox etiam a se;*

H.: *mox et a se.*

«Mox et a se» nullo modo probari potest, quia in collatione Graecae linguae ex contrario minus Latinum nobis videtur esse tam multas coniungere voces, quae sunt syllabae unius. — Lectioni: «mox a se» praeter ea, quae supra diximus, etiam id adversatur, quod hac lectione similiter atque coniunctionibus correlativis «non solum . . . sed» praetermisso «etiam» altera (h. l. posterior) pars maiore vi dicitur, cum nostro loco utraque pars eandem vim habeat. In lectione «mox etiam a se ipsis» nihil tale contra dici potest. Ceterum «et» facillime ortum est e male per compendium scripto «et».

#### 4, Germ. III, 6

**P:** *voces illę . . . uidētur;*

**R:** *voces illę . . . uidentur;*

**RabedefNTFMWH:** *voces ille . . . videntur;*

**Rc:** *uidētur;*

Rhenanus: *vocis ille . . . videtur.*

W., Ms., L., K., R., Bst., H.: *voces illae . . . videntur;*

Hpt., Hlt., Mh., B., Bm.: *vocis ille . . . videtur.*

Lectio «voces illae . . . videntur» continet sensum, qui praecedentibus et sequentibus verbis optime conveniat. Sensus enim huius loci est: barritus (v. O. Keller, Jahrb. 103, 560) ille non tam verbis constat, quae sententiam habent et canuntur, sed clamor concinens est sine verbis, cuius vis haec videtur esse, ut virtutem significet. Ceterum haec lectio non solum sensu, sed etiam verborum compositione adiuvatur. Grammatica verborum ratio talis est, ut «illae» subiectum sit, quippe cuius genus per attractionem quandam cum praedicati genere aequatum sit. Cf. capp. V, 7; XIII, 15, 19; XVIII, 10; XXXI, 12; XXXII, 5, 6; proprie enim dicendum erat: nec tam illud (sc. quod acies sonat sive barritus ille) voces . . . videntur. — Denique lectio «voces illae . . . videntur» lectioni «vocis ille . . . videtur» eo praestat, quod priore lectione non cogimur «voces» omnibus codicibus traditum mutare in «vocis», quod exhibet codex nullus. Postremo apparet librarii neglegentia perfacile esse mutatum «illę» in «ille» et «uidētur» in «videtur», quod praebet unus codex **S**.

#### 5, Germ. III, 12

**P:** *noiatūq3 nulla sequente lacuna (ita ut Pontanus in marg. addiderit «deest»), eodemque modo in RTS; est autem lacuna in RbfFMHL(?)*

et H γ α, etiam A'

uidentur HMα, uidetur S.



**W** (*ubi manus altera addidit Graecam vocem*). Lacuna expleta est verbo: *ACKHHTYPTION* in **Rc**, *ACKJHTYPTION* in **Rd**, *ακκικυβριον* in **Rae**. In **A** legitur *ACTYTEATION*.

W., Ms., L., K., R., Hlt. Bst., Bm., H., P., T., M.: *nominatumque*. (*sine lacuna*);

Mh., B.: *lacunam statuendam esse putant*.

Lacuna nobis hoc loco non est statuenda; nam nihil requirere possumus, quod ad facilius intellegendum hunc locum necessarium sit. Certe igitur nullo maiore supplemento opus est. Si autem quodcunque nomen sive unum ex supra dictis sive ex sequentibus: *ACRHTYPTION*, *Ακκικυβριον* Acrinprion, *Οδυσακρυβριον* sive aliud additur, urbi ab Ulixē conditae uno atque eodem tempore duo et diversa nomina, fuisse oportet. Quod haud verisimile est. Ceterum cap. XVIII, 8, 15 nostri loci similes habet locos: — «scutum cum framea gladioque» et «passuram ausuramque». — Apparet «nominatumque» pertinere ad praecedens «Asciburgium» neque cum M. Hauptio aliisque propterea lacunam esse statuendam, quod «Asciburgium» non significet Ulixem conditorem, quippe cum secundum famam Ulixes etiam alias urbes condiderit, quarum nomina similiter non ad Ulixis nomen referuntur. — Quomodo autem lacuna est orta? Scilicet, quod librarii obiectum requirebant ad «nominatum», non videntes id verbum referri ad praegressum «Asciburgium» ac significare «nomen accepisse suum».

## 6, Germ. V, 13

**P**: *utilitate* = **RacdeNM**;

**RbfFW**: *utilitate*;

Rhenanus: *nobilitate*.

W., Ms., L., R., Mh., Bst., B., H., P., T., M.: *vilitate*;

K., Hlt.: *utilitate*.

Kritzius «utilitate» defendens secum dissentit. Si quidem argentea vasa «non in alia», ergo «in eadem utilitate» sunt ac fictilia, certe illa «in usu» esse oportet. — At Kritzius supra dictum «possessione et usu haut perinde adficiuntur» verbis «possessionem quidem non respuunt, **usu tamen non gaudent**» interpretatur. — Holtzmannus quamquam plerique codices «vilitate» exhibent, tamen ex contextu «utilitate» esse legendum putat; sed Holtzmannus contextum male comprehendit. Sensus enim huius loci non est: «usu» Germanos fictilium et argenteorum vasorum discrimen fecisse, sed: non pluris aestimasse eos argentea vasa quam fictilia. Qui sensus nisi «vilitate» exprimi non potest. Tacitus dicit: Germanos argentea vasa tantidem aestimasse ac fictilia. Habuisse quidem eos argentea vasa, quae non ut Romanos in urbe Roma proposuisse, sed quibus ut cetera supellectile usos esse. Recte igitur supra dici potuit «possessione et usu haud perinde (= nicht ſonderlich) adficiuntur». Itaque luce clarius

nominatumque **Sa**, nominatumque ante lacunam H M, nominatumque *ακκικυβριον* A.

est de collatione possessionis atque usus, ut Kritzius aliique putant, dici non posse. Verbis «haud perinde» etiam vim «nicht fonderlich» inesse intellegitur ex his locis: Suet. T. 52: ne mortuo quidem perinde adfectus est. Galba 13: non perinde gratus. — E nostra lectione atque interpretatione «est... finguntur» cum «possessione et usu haud perinde adficiuntur» pugnare non potest. Verisimile est librarium aut ex industria propter «usu» supra dictum «vilitate» in «utilitate» mutavisse aut, ut persaepe fit, negligentia sua pro «vilitate» tradito legisse et scripsisse «utilitate».

## 7, Germ. V, 21

**P:** *affectedōe*;

**RadV:** *affectione*;

**RbcfNS:** *affectione*.

Editorum multo maior pars: *affectione*;

K., Hf.: *affectione*.

Adfectio (adficere) est animi aut corporis ex tempore aliqua de causa commutatio, ut laetitia, cupiditas; adfectatio (adfecto) autem intemperans ac vehemens cupiditas. Haec verba igitur eo differunt, quod adfectio minorem continet vim, adfectatio maiorem. Tacitus hoc loco dicere vult Germanos omnino non argenti et auri ex cupiditate aliqua cupidos fuisse, sed quia numerus argenteorum facilius usui est promiscua ac vilia mercantibus. Verbis «nulla adfectione» Tacitus non solum negat Germanos argenti et auri cupidos fuisse, sed etiam dicit ne minimam quidem cupiditatem iis infuisse. Qui sensus nobis prorsus aptus videtur esse. Verbis «nulla adfectione» significaretur Germanos vehementi et intemperanti quidem cupiditate liberos fuisse, «adfectione» autem non. «adfectionem» igitur negans Tacitus nihil singulare de Germanis diceret. Quod prorsus aliter se habet si «adfectione» legitur. Praeterea «adfectione» adiuvatur additamento «animi» (gen. subiecti), cum «adfectatio» hoc additamentum fere non habeat, sed genitivum obiecti. Quamobrem Kritzius in commentario hanc fecit adnotationem: „Propterea additur «animi», ut significetur illos caruisse cupidine, quae prodit ex animo, qui est fons omnium cupidinum“. Nisi haec interpretatio esset falsa, omnibus verbis, quae adfectum aliquem significant, additamento «animi» opus esset. Locus, qui a Kritzio e Germ. cap. XXVIII adfertur, omnino non aptus est, quia multo potius demonstrat «adfectione» nostro loco non esse lectionem aptam aut veram. In cap. XXVIII «adfectionem» non habet additamentum «animi», sed genitivum obiecti. — Quod attinet ad locos hist. II, 63 et ann. XIV, 16, quos Kritzius adfert, haud bene electi nobis videntur, quod lectionem suam explicandi et defendendi causa verbo «adfectare» utitur. Contra multo melius nobiscum agitur, cum paulo ante «adficiuntur», non «adfectantur» habeamus et praegressa sententia similem contineat sensum ac «nulla adfectione animi sequuntur».



8, Germ. VII, 12

**Codices omnes exhibent:** *unde . . . audiri.*

W., Ms., L., Hlt., Mh., Bst.: *audiri*;

R.: [*audiri*];

Wfl., B.: *audias*;

K., H., N., P., M.: *auditur*;

Hf., T.: *audiant*;

Md.: *audiunt.*

Kritzius: „Infinitivus historicus ut iam per se h. l. ferri nequit, ita multo minus e relativa particula aptus esse potest“. Cur infinitivus historicus hoc loco iam per se ferri nequeat, Kritzius minime dicit. Infinitivus historicus, cui semper subiectum in nominativo apponitur, pro imperfecto narrativo aut praesenti descriptivo adhibetur, ut aliqua res sic exponatur, ut non narrari, quae gesta sunt, sed rem geri prorsus videas. Ita etiam nostro loco animos excitans res exponitur: non casus nec fortuita conglotatio turmam aut cuneum facit, sed **familiae et propinquitates et in proximo pignora**, unde feminarum ululatus audiri. Intellegimus igitur infinitivum historicum nostro loco ferri posse. — Idem Kritzius: „ . . . infinitivus historicus ita multo minus e relativa particula aptus esse potest.“ Non negandum est infinitivum historicum a Tacito coniunctum esse cum relativa particula, quae re vera hoc loco non est relativa particula, sed multo magis = «et inde», quamobrem hic non relativam, sed principalem habemus sententiam, — quippe cum aliis locis etiam cum coniunctionibus infinitivum historicum coniunxerit. Ut ann. II, 4 (ubi minitari); III, 26 (postquam exui); XI, 37 (ubi . . . languescere., redire); XII, 51 (ubi quati . . .); XIV, 5 (cum . . . ruere . . .); Liv. II, 27 (cum . . . dicere); hist. III, 10 (ubi crudescere . . .); III, 31 (ut praeberi . . .); cf. Draeg. synt. § 172, b. Naegelsb. lat. Stil. § 131, 1 Agr. cap. XXXIV: quomodo . . . ruere . . . pellebantur (Peterus); pelli solent (Draegerus). Ct. Zumptii gramm. Lat. § 599. 6 adn. «ruere» non est, ut Peterus putat, tertia persona pluralis numeri perfecti, sed infinitivus historicus, quod «ruere» parem gradum obtinet ac «pellebantur» aut «pelli solent», quod infinitivum historicum etiam propius est; haec enim verba relationem ad se habent. Itaque imperfectum «pellebantur» ipsum aut «pelli solent» nos cogit dicere verbum «ruere» hoc loco idem esse ac «ruebant» aut «ruunt». — Kritzius: «audiri» ex «auditur» corruptum esse. Quomodo id factum sit, scilicet minime dicit. Comparat hunc locum cum cap. XXXV, ubi **RcN**: obtendere, **M**: obtendit, ceteri codd.: obtenditur exhibent. Qui loci magnopere inter se differunt. Nostro loco enim omnes codices eandem praebent formam. Ceterum «auditur» non solum iam per se haud facile in «audiri» mutatur, sed etiam non verisimile est lectionem faciliorem esse mutatam in difficiliorem. Quod multo magis contra fieri solet. — Rittero, qui «audiri» uncis inclusit, adsentiri non possumus, quia hoc ultra brevilocutionem illam Taciti esset. — Cum Woelfflinio et Baitero propterea «audias» legi nequit, quod hoc loco non quaerendum est, fierine

res ulla potuerit necne, sed factum traditur i. e. mos quidam veterum Germanorum, qui pignorum suorum: uxorum, liberorum, parentum tulatus in proximo audientes acerrime pugnabant.

### 9, Germ. VII, 14

**PARRdeS:** *aut;*

**RcFHMNS:** *et;*

**Rbf:** *t.*

Gb., W., Ms., K., Hf., R., Hlt., Bst., Sch. S., T., M.: *aut;*

Mh., H., P.: *et.*

«aut» est antefendum coniunctioni «et»; respondet enim huic legi: si coniungendae sunt sententiae, quarum prior negatur, nobis plerumque non copulativa coniunctio «et» adhibenda est, sed disiunctiva «aut». Hanc legem innumerabilibus exemplis docere possumus. Cf. Agr. X. fin.: **nec** . . . ad crescere **aut** resorberi; Liv. XXI, 1: **neque** . . . virium **aut** roboris. — Sed «aut» melior lectio esset, etiam si «nec» non praecederet; nam «exigere plagas» maiorem continet vim quam «numerare plagas». Quae maior vis coniunctione «aut» melius significatur quam coniunctione «et».

### 10, Germ. VIII, 6

**P:** *nobiles;*

ceteri codd.: *nobiles.*

W., Ms., K., R., Hlt., Bst., H., Sch. S., T., M.: *nobiles;*

Mh., B., P.: *nobiles.*

Romani cum animadverterent feminas apud hostes magni haberi, se ab his puellis quoque nobilibus imperatis tutissimos fore putabant; sic enim futurum esse, ut civitatum animi efficacius obligarentur. Certe parum retulit, utrum puellae nobiles essent necne. Multo magis non verisimile est hostes, imprimis principes adulescentesque nobiles, nubilibus tantum atque ex humili loco natis obsidibus imperatis eadem fide foedus ictum servavisse, ac si puellae e nobili loco imperatae et datae essent. Feminas obsides esse imperatas etiam Suetonius tradit Aug. 21: a quibusdam novum genus obsidum, feminas exigere temptavit, quod neglegere marium pignora sentiebat. Nobiles autem imprimis obsides imperatos esse intellegimus ex histor. IV, 28 init.: societate nobilissimis obsidum firmata.

### II, Germ. IX, 3

**PRa:** *Martem cōaessis aīalibus placāt et herculē;*

**RfFH:** *ac matrem;*

ceteri codd.: *Herculem ac Martem.*

et H γ, aut α.

Herculem (Hercule M) ac H γ,

Herculem et α *omis.* A'

placant] placant et herculē A'

W., Ms., L., H., M.: *Herculem ac Martem concessis animalibus placant*;

Mh., Bst., B., P., T.: *Martem et Herculem concessis animalibus placant*;

K.: *Martem concessis animalibus placant*;

R.: *Martem concessis animalibus placant (et Herculem)*;

Hlt.: *Martem concessis animalibus placant et Herculem.*

Tacitus hoc loco, quem alii aliter explicant, nonnullos Germanorum deos interpretatione Romana commemorat. Deus, quem et Tacitus et Caesar de b. G. VI, 17 Mercurium appellat, idem est atque Odin, qui ex septentrionali mythologia summus Germanorum deus nobis notus est. Hic deus fortium hominum animas in Walhallam (*Ἡλύσαον πεδίον*) conducebat et similiter atque *Ἐγουῖς ἐνόδιος* colebatur. „Wodan ipse est, qui apud Romanos Mercurius dicitur et ab universis Germaniae gentibus ut deus adoratur.“ Cf Paulus Diaconus rerum Long. hist. lib. I. c. 9. — Mercurium eundem esse atque Odin etiam ex eo intellegi potest, quod dies Mercurii (*Wittwoch*) Germanice «Odinstag» vel «Wodanstag» dicebatur, quod nomen etiam nunc in septentrionalibus Germaniae regionibus atque in Germanica dialecto invenitur. Cf. ann. XIII, 57 med. — Mars idem est ac veterum Germanorum deus «Ziu (Zio), Eru». Dies Martis Germanice = Dienstag (proprie Diestag ex *ziestac*). Colebatur autem gladii symbolo belli deus. Cf. hist. IV, 64 init. — Nostro loco igitur Tacitus duos Germanorum commemorat deos, qui respondent Romanorum Mercurio et Marti. Sane mirum esset, nisi Germani mediocriter quidem Iovis, primi Romanorum dei, similem habuissent deum eiusque Tacitus mentionem si non fecisset. Attamen habuerunt Germani talem deum et hic est «Thunar», qui ab nonnullis Germanorum Iuppiter, a Tacito Hercules est appellatus. Thunar autem optime Hercules appellari potuit, quia similiter atque hic circumibat, ut monstra deleret. Idem Thunar domuit naturae vires, gigantes aliaque malleo suo ut Hercules clava, Iuppiter ictu fulminis. Idem erat amicus hominum; Tonitrus autem deus est ac fulminis vim suam non in homines vertit, sed in gigantes, adversarios deorum hominumque. Videmus igitur deum «Thunar» ea, quae Romanorum Iovis atque Herculis propria erant, cohibuisse, sed Herculis virtutes in deo «Thunar» praevaluisse. Quamobrem Tacitus deum Thunar non Iovem, sed Herculem appellavit. Holtzmanno, qui duos diversos Hercules a Germanis cultos esse dicit, adsentiri non possumus. In Germ. cap. III, init. et cap. XXXIV Herculem Tacitus commemorat per Germaniae loca circumvagantem, nostro autem loco Herculis cultum, postquam is terra discessit. Similiter ac Graeci etiam Germani Herculem brevi post discessum divinis honoribus coluerunt. Primus Graecorum Herculem ut deum coluit Diomus, Colyti filius, Atheniensis, et postea Graeci omnes, ita ut diversis locis eodem tempore simul ἥρωος atque deus sacrificiis coleretur. Quod apud Graecos in usu erat, id cur non etiam apud Germanos fieri potuit? Intellegimus dubitari non posse, quin Germani Herculem ut deum coluerint. Quamobrem Tacitus certe praetermittere non potuit, quin Herculem hoc loco ut deum commemoraret. Sed utrum «Herculem» in exordio an in fine huius

sententiae legendum sit, diiudicari nequit. Sed «Herculem» in fine poni nobis melius esse videtur; hac enim positione et Mercurius et Mars et Hercules ex se quisque aptus maiore vi commemoratur. Mercurius summus Germanorum deorum primum tenet locum, Mars secundum, Hercules ex semideo (ann. II, 12 init. [silvam Herculi sacram], 60 init.) deus factus (Germ. XXXIV, fin.) tertium. Ex quibus argumentis satis apparet «Herculem» non cum Kritzio et Rittero exstinguendum esse, sed cum **PRa** in textum inserendum. Legemus igitur: Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent. Martem concessis animalibus placent et Herculem.

## 12, Germ. X, 16

**PRRabdefFNHSMK**: *aḗ plebē. aḗ pceres. aḗ sacerdotes.*

**Rc**: *s. apud proceres;*

**V**: *sed apud proceres.*

W., K., R., T., Mh., Bst.: *non solum apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes;*

Ms., Hlt.: *apud plebem, apud proceres, apud sacerdotes;*

Th., G., P.: *apud plebem, apud proceres, sed apud sacerdotes;*

Hf.: *apud plebem, apud proceres, etiam apud sacerdotes.*

Draegerus (Taciti syn. et stil. 1874, § 128 p. 49) docet Taciti esse proprium saepius «non modo, non solum» scribere nullo «sed» sequente; at, quod docet, hoc uno nostro exemplo adiuvat. Loci, quos Nipperdeyus in commentario ad ann. IV, 35 attulit, prorsus aliam habent naturam; nam «non» multo facilius nulla sequente coniunctione correlativa legitur quam «non solum», quod postulat coniunctionem correlativam multo maiore vi. Deinde etiam argumenta horum locorum eius modi sunt, ut coniunctionum ellipsin haud tantopere sentiamus quam nostro loco. Cum igitur aliis locis in Taciti operibus haud facile tam asperam lectionem invenire possimus, quam aspera est lectio: «non solum apud plebem, apud proceres, apud sacerdotes», praeterea cum non solum Tacitus, sed etiam alii scriptores permulta atque simillima exempla lectionis «non solum apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes» (**RcV**) exhibeant, denique cum hanc lectionem facillime et optime interpretari possimus, repudiamus lectionem, quam **P** ceterique codices praebent. Nostra lectio sic est interpretanda: non solum plebs, quae plerumque superstitiosa est, sed mirum in modum etiam proceres atque sacerdotes equorum hinnitum ac fremitum observant neque ulli auspicio maiorem fidem habent. Ita proceres et sacerdotes maiore vi opponuntur plebi. Haec vis autem exprimitur non tam verbis «sed etiam», quam multo melius solo «sed», praetermisso «etiam». Prammeri et Hirschfelderi lectionem praebet codicum nullus.

13, Germ. XIII, 5

**P:** *¶pīqui;*

**RdKV:** *propinqui;*

**N:** *propinquus (in margine propinqui).*

K., R., T., Mh., Bst., P., B., Sch. S.: *propinquī;*

W., Ms., Hlt., H., M.: *propinquus.*

Singularis «propinquus» idem significat ac Germanicum «der Verwandte». Quae vis ad hunc locum minime apta est. Aptam vim habet pluralis «propinqui = propinquorum aliquis». Sed «propinquorum aliquis» a Tacito propterea non scriptum est, quod «principum aliquis» praecesserat. — Deinde cum subiectis singulari numero dictis atque coniunctionibus disiunctivis separatis plerumque etiam praedicatum coniungitur singulari numero dictum. Zumptius. Gramm. Lat. § 374. Draegerus (Tac. syn. et stil.): subiecta singulari numero dicta saepius coniungi cum praedicato singulari numero dicto. Quodsi «propinquus» legitur, «ornat» melior lectio, sin «propinqui», «ornant». Sed omnes codices praebent «ornant» praeter codicem A, qui habet «exornant». «Ornant» igitur haud parum adiuvat lectionem nostram «propinqui». Verisimile est librarios quosdam scripsisse «propinquus» propterea, quod iis singularis melior lectio esse videbatur propter praegressum singularem «principum aliquis vel pater».

14, Germ. XIII, 9

**P:** *digitatē;*

**A:** *dignitatem;*

**M:** *donacionem;*

**Rb:** *in dignationem;*

**Rf:** *dig<sup>a</sup> tionem;*

ceteri codd.: *dignationem.*

B., Sch. S., Hl., G., Hf., P., T.: *dignitatem;*

Gb., W., Ms., Hpt., K., R., Hlt., Mh., N., Bst., H., M.: *dignationem.*

Cum hic locus profecto omnium difficillime explicandus sit, quid mirum, si eum alius alio modo interpretatur. Baumstarkius quamquam ipse nihil novi dicit, tamen alios et saepe multo doctiores viros fortiter increpat. Ut hunc ad explicandum difficillimum locum recte interpretemur, ex qua interpretatione intellegi possit, quae sit vera, quae falsa lectio, omnium primum veras atque proprias significationes verborum «dignatio, dignitas, adsigno» definiri et teneri oportet. Dignatio (dignor) = Würdigung, dignitas (dignus) = Würde, adsignare (ad-signum) alicui aliquid = etwas für Jemand anzeichnen, durch ein Zeichen angeben, daß etwas Jemandem zukommen solle = zusichern. Utrum «dignationem» an «dignitatem» legendum sit, dici non potest, nisi hae significationes tenentur. Ut omittamus, quae alii in

¶pinquus HM, propinqui Sa

dignationem Ha, dignacōm S,

donacione M, dignitatem A'

lectione «principis dignationem» reprehendunt, huic lectioni maxime obstat «nec rubor inter comites adspici». Absurdum enim est confirmare et addere «nec rubor inter comites adspici», cum supra dictum sit «insignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignationem (i. e. in comitatum accipi) etiam adulescentulis adsignant». Sin «principis dignitatem» legimus, nihil secum pugnat. Quae lectio sic est interpretanda: quamquam insignis nobilitas aut magna patrum merita etiam adulescentulis principis dignitatem adsignant, tamen ceteris, qui robustiores ac iam pridem probati sunt, adgregantur, cum iis, nobilium et bene meritorum patrum filiis, eo minus dedecori sit inter comites adspici, quod gradus quin etiam ipse comitatus habet iudicio eius, quem sectantur. Qua interpretatione simplicior non est. — Quod attinet ad reliqua, quae adferuntur aut defendendi aut repudiandi causa «dignationem» aut «dignitatem», illa nimis in opinionibus posita sunt. Dicunt enim alii: «dignatio» habet vim activam, alii: passivam, alii: activam et passivam. Ita numquam ad exitum pervenire possunt, cum neque ex Tacito neque ex aliis scriptoribus vera et propria vis «dignationis», utrum activa an passiva an activa et passiva sit, exquiri possit. Sed hoc nobis certum esse videtur «dignationi» primo loco activam inesse vim, «dignitati» passivam. Ita nostra lectio nullam habet contradictionem. Ergo lectio «principis dignitatem» anteferenda ed accipienda est. Cf. Germ. XXVI, 4 **RfF**: dignitatem, quod et **V** prius scripserat, **P**: dignatiōem, **H**: dignacōe3, **K**: dignationē. Idem **VNMRRabcde**.

### 15, Germ. XIV, 12

**P**: *tuētur*;

**Ra**: *tuent'*;

**Rd**: *tuear'*;

**K**: *tueantur*;

cet. codd. *tueare*.

K., R., Hlt., T., Mh., Bst., P., B., Sch. S: *tuentur*;

W., Ms., H.: *tueare*.

«tueare» est falsa lectio, quia secundā personā singularis numeri coniunctivi praesentis activi continetur generalis sententia ad omnes, quicumque ii sunt, pertinens, quasi apud omnes populos etiam Romanos comitatus in usu fuerint. Quod utique absurdum est. Cf. Seyffertius. Gramm. Lat. § 381, 2, 3. Hoc verbum multo magis certum habet subiectum: sunt enim principes comitatum et adulescentes nobiles, qui principes comitatum evasuri erant. Itaque «tueare» retineri non potest. — Si autem «tueantur» (**K**) scripsisset Tacitus, etiam «clarescant» (**RcNVW**) eum scribere oportuit, sed **PRRabdfFHKLMS** «clarescunt» exhibent. Praeterea hic coniunctivus principum tantum sententiam significat. Profecto mirum esset, nisi Tacitus ipse tales sententias habuisset, quales hoc loco dicuntur.

dignationem α, dignacionem HM, dignos S.

tueare H<sub>77</sub>, tuentur A'



Ergo et «tueantur» et «clarescant» repudiamus et sic legimus: „... quia et ingrata genti quies, et facilius inter ancipitia clarescunt magnumque comitatum non nisi vi belloque tuentur“<sup>4</sup>. «Quia» pertinet ad unamquamque harum sententiarum, quas quisque veras esse dicere potest. Ergo etiam Tacitus. Ex quo sequitur, ut hoc loco indicativus, non coniunctivus ponendus sit. Secunda et tertia sententia coniunctione «que» coniunguntur, quia argumento magis appropinquant, quam prima et secunda, quae coniunctione «et» copulatae sunt. Primae sententiae est subiectum «quies», «clarescunt» autem idem habet subiectum ac «dicunt» (sc. homines) (Germanice = *man*; subiectum tertiae sententiae supra est dictum. Habemus igitur hoc loco subiecti mutationem. Haec autem in Taciti libris saepe invenitur.

### 16, Germ. XVIII, 16

**P:** *sic uiuendū sic peundū; cet.;*

**Rc:** *pariendum;*

**RRaNHM:** *pariendum;*

**S:** *uiueū sic pieū (in marg. pariendum);*

**Rbf:** *sic patrem accipere;*

**F:** *sic uiuendum sic accipere;*

**L:** *si uiuendum sit perinde;*

**K:** *sic uiuentes. sic parientes;*

**Rd:** *renūtiant. sic parientes accipe.*

Plerique editores: *pereundum;*

H.: *pariendum.*

Per totum caput verbis mutatis eadem sententia explicatur: uxori laeta atque tristia, quieta atque periculosa cum marito communia esse, donec in fine omnia duobus tantum verbis «sic vivendum, sic pereundum» comprehenduntur. Boves, quos uxori maritus offert, significant pacis labores, frenatus equus et scutum cum framea gladioque belli pericula. Uxor invicem ipsa armorum aliquid viro adfert. Ne se mulier extra virtutum cogitationes extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in proelio (cf. c. VII, 9; VIII, 2 sq.) passuram ausuramque: hoc vincti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant. Videmus igitur subeunda esse pericula, quibus vita offertur, labores ferendos, quibus victus paratur. Quae verba ad haec omnia brevissime optimeque comprehendendum aptissima sunt, nisi «sic vivendum, sic pereundum»? Haec duo verba pulcherrime dicunt apud Germanos uxorem in pace marito coniunctam vixisse, ut omnes pacis labores ferret, et, si oportuisset, etiam ad mortem eam paratam fuisse. — Haec nobis pulcherrima sententia videtur. — Sin «pariendum» legitur pro «pereundum», omnis huius loci gravitas et vigor amittitur et totus hic locus praecipue finis frigidus et inanis est. Quid uxori

pariendum HMA", pieū S.

maritus munera non ad delicias muliebres offert, sed frenatum equum et scutum cum framea gladioque? Quid invicem ipsa uxor armorum aliquid viro adfert, nisi defendendi causa? Utuntur vero his, cum pericula subeunda sunt, quibus uterque perire potest. Deinde si Tacitus dixisset «sic pariendum» certe hoc verbum ante »sic vivendum» posuisset, quia «pario» vi sua verbo «vivere» praecedit. Postremo «sic vivendum sic pariendum» pleonasmum quendam continet, quia «vivere» non solum vim complectitur «vivendi», sed etiam «pariendi». — Prorsus aliter se res habet, si legimus «sic pereundum». Toti huic loco hoc ipso verbo «pereundum» vigor quidam adiungitur. Haec est non solum opinio nostra, sed hoc est nobis persuasum et omnibus, qui in legendo liberi sunt.

### 17, Germ. XVIII, 18

**P:** *rursusq3*;

**RabcdFMTNVSK:** *rursusque*;

**Rf:** *rursus que*;

**Rc:** *rursus q̄*;

**W:** *rursus: quae*. — Cf. W., Gl., Bk. —

Rhenanus, W.: *rursusque ad nepotes referant*;

Gb., Ms., K., Hlt., H.: *accipiant rursus, quae*;

Hpt., R., Mh., Bst., B., Sch. S., Hf., P., T., M.: *accipiant rursusque*.

«Rursusque» hoc ipso, quod pronomine «quae» ante «nurus» simul et accusativo et nominativo nobis utendum est, critica ratione multo magis commendatur quam in dubio ponitur, quia enim haec est lectio difficilior. Ceterum e diversis scriptoribus permulti atque persimiles loci adferri possunt. Ut Sall. Iug. 14, 16; 31, 18; 101, 5. — Etiam in Graeco persaepe similes loci inveniuntur. Xen. Anab. III, 2, 5: Ἀραιῶς, ὃν ἡμεῖς ἠθέλομεν βασιλέα καθιστάμενα καὶ ᾧ ἐδώκαμεν καὶ [παρ' οὗ] ἐλάβομεν πικρά, οὐτως ἡμᾶς κακῶς ποιεῖν περιεῖνα. — Intellegimus igitur non propterea «rursus, quae» esse legendum, quod in lectione «rursusque» praecedens «quae» et nominativus et accusativus adhibeatur. — Hic locus autem alteram quoque interpretationem admittit. «que» habet hoc loco eandem vim ac Germanicum «auch». Cf. ann. XIV, 28 (auxitque); ann. II, 37 (censusque); ann. IV, 74 (crebrisque). «rursus» pertinet ad «referantur», quod praeter **TS** omnes praebent codices; subiectum autem praedicati «referantur» est «quae nurus accipiant» (= ab nuribus accepta). Nostra lectione et interpretatione oriuntur duae partes principales; prima pars complectitur: mulierem (i. e. parentes) et liberos, altera: nurus nepotesque. Sensus est: ut liberi a parentibus, sic nepotes ab nuribus rursus dona accipiebant. Hanc interpretationem confirmant verba: accipere . . . reddat, accipiant . . . referantur. Sin cum Holdero aliisque «rursus, quae» legitur, eadem dona accepta et reddita esse videntur. Quod non est verisimile. — Deinde «rursus» cum verbo «accipiant» coniunctum prorsus per pleonasmum nobis

dictum videtur, cum sequens «quae» haud satis conveniat in sententiam. — Praeterea «rursus, quae» neque in Latino neque conversum in Germanicum bene legitur aut auditur. Verisimile est «que» mutatum esse in «quae» aut de industria propter antegressa pronomina «quae» aut liberrarii negligentia.

### 18, Germ. XX, 10

**P:** *aþ*;

**RbfV:** *apud*;

**N:** *a + d*;

**RRacdFHKMSTW:** *ad*;

**N:** *qui adpatrem*;

**Rbf:** *qui patrem*.

Hpt., K., R., T., M.: *apud*;

W., Ms, Hlt., Mh., Sch. S., H., Bst., P.: *ad*.

In eruditorum oratione accurata et polita eorumque dictione «apud» (= bei) primo loco aliquid prope aliquam rem esse significat et imprimis pertinet ad personas (Schultzius. Gramm. Lat. Synt. § 475); «ad» primo loco valet aliquid in aliquam rem aut in aliquem locum moveri. Ergo legendum est nostro loco «apud», quod iam complures circuitione quadam concesserunt dicentes hoc loco «ad» idem esse atque «apud». Sed non potest affirmari Tacitum «ad» et «apud» alterum pro altero adhibuisse; nam Draegerus saltem (Taciti synt. et stil.) nullum huius modi exemplum attulit. Loci autem, quos Waltherus in commentario posuerat, nostra interpretatione multo melius explicantur. Cf. ann. I, 8, cuius loci Nipperdeyus talis est interpres: «ad posteros» idem valere atque «in posteros» (= für die Nachwelt). Haec vis autem praepositionis «ad», quae invenitur multis aliis locis in Taciti operibus, nostro loco minime est apta; nam nullo modo de honore (= Auszeichnung) liberorum in patrem dicere possumus, sed patris aut avunculi in liberos. Quo honore ostenditur inter dominum eiusque filium praeter severam illam condicionem etiam pietatem quandam erga liberos fuisse. — Baumstarkii interpretationem huius loci in Latinum convertere nolimus, quo facilius intellegatur, quam parum sit usus critica ratione. Verba Baumstarkii haec sunt: „Die Setzung des *ad* hat keine Schwierigkeit; dasselbe ist entweder geradezu bloß = *apud*, oder: im Verhältnis zum Vater und an seiner Seite“. — Num est haec critica ratio? Ex tota Baumstarkii „Germania“ apparet eum multis verbis pauca et persaepe falsa dixisse.

### 19, Germ. XXVI, 3

**P:** *īuicē*;

**V:** *īuices*;

**Rad:** *in uices, in vices*; *omiss. in RbcfFMWSTLN*;

**B:** *uicis*;

**N:** *uices*;

**H:** *vice*;

**R:** *uite* (*om. in.*).

W., Ms., T., Mh., Bst., P., B., Sch. S.: *in vices*;

Hlt.: *invicem*;

K., Wtz.: *vicis*;

N.: *in vicos* = *vicatim*;

R.: [*invicem*];

H.: *uice*;

Rb.: *indivisi*;

antiquissimae editiones: *per vices*.

Dubitandum non est, quin Tacitus Germaniam scribens Caesaris „de bello Gallico“ commentariis usus sit. Hoc demonstrant loci ut Caesaris de b. G. IV, 1, ubi Caesar de Suebis, de b. G. VI, 22 de Germanis eadem narrat, quae Tacitus in „Germania“. „Neque quisquam agri modum certum aut fines habet proprios; sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui una coierant, quantum et quo loco visum est agri attribuunt **atque anno post alio transire cogunt**. Eius rei multas adferunt causas: ne assidua consuetudine capti studium belli gerendi agricultura commutent; ne latos fines parare studeant, potentioresque humiliores possessionibus expellant; ne accuratius ad frigora atque aestus vitandos aedificent; ne qua oriatur pecuniae cupiditas, qua ex re factiones dissensionesque nascuntur; ut animi aequitate plebem contineant, cum suas quisque opes cum potentissimis aequari videat“. Caes. de b. G. IV, 1: Hi (qui domi manserunt) rursus **in vicem** anno post in armis sunt, illi domi remanent. Sic neque agricultura nec ratio atque usus belli intermittitur. Sed privati ac separati agri apud eos nihil est, neque longius anno remanere uno in loco incolendi causa licet“. — Praeterea Tacitus Germ. cap. XXVIII, 1 Caesarem „summum auctorum“ appellat. Putamus Tacitum eadem narrantem, quae narravit Caesar, perfacile idem verbum eadem fere significandi causa adhibuisse. Temere huius loci difficultati mederi est conatus Fr. Ritterus, qui vocabulum «invicem» uncis inclusit. Multo magis «invicem» omisso res vera in peius mutatur, cum Germani, siquidem Caesari et Tacito credere debemus, agri modum certum aut fines non habuerint proprios. Parum recte Wackernagelus «invicem» ita tueri studet, ut «invicem» hoc loco particulam esse adversativam statuatur, cum vix quod existimavit Tacitum haec opponere de faenore modo dictis cuiquam probet et ipsa vocabuli collocatio eius sententiae vehementer repugnet. — O. Ribbeckius pro «invicem» scribit «indivisi», quod propter sequentia verba «quos . . . partiuntur» teneri non potest. — Quod attinet ad pluralem formam «in vices», verisimile est «invicem» coniectura propter ceteras huius sententiae plurales formas in «invices» esse mutatum. — Omisso autem «in» (**RbcbFMWSTLN**) alii alia coniecerunt: vice, per vices,

viciis aliaque. Hand cunctanter Kritzius et Waitzius «viciis» esse deducendum a »vicus, i» coniecerunt et «ab universis viciis» scripserunt. At num Tacitus dicit agros ab omnibus viciis simul occupari et tum inter singulos vicos fieri partitionem secundum vicorum dignationem? Tacitus multo potius dicit ab universis »invicem» i. e. in mutuan possessionem agros esse occupatos. «Ab universis viciis» eo minus dici potest, quod vici, quos constat non homines solum, sed etiam domicilia hominum continere, neque promoveri neque hanc ob causam alios, fortasse remotos, agros occupare potuerunt. De «viciis = Dörfer» igitur hoc loco dicendum non est. Kritzius cum etiam ipse lectionis suae imbecillitatem sensisset, hunc locum sic est interpretatus: „per se autem patet, hoc (i. e. universi vici) tantum valet de novis viciis condendis“. Kritzius imprimis coniecit «viciis» propterea, quod «universi» sine substantivo poni non possit. Quamobrem hoc substantivum «viciis» esse putat. At sexcenties «universi» sine substantivo ponitur. Caes. de bello Gallico V, 44 med. Tac. hist. II, 75 fin. — Ceterum «universis» nostro loco non est sine substantivo; nam ex «cultorum» ad «universis» supplendum est «cultoribus». »Universi» autem sunt (= alle inſgesamt): potentiores et humiliores, domini et servi, suis manibus agros colentes aut agros coli iubentes, qui agros promiscue occupant, secundum dignationem autem eos inter se partiuntur; facilitatem partiendi praebent camporum spatia. »Arva per annos mutant, et superest ager“.

## 20, Germ. XXX, II

**P:** *vel ratione*

*romane;*

**Rb:** *romane;*

**RafFSMLBAHK:** *romane;*

**RRdNTW:** *ratione;*

**R:** *rā.*

Gb., W., Bst.: *ratione;*

Ms., K., R., Hlt., T., Mh., B., H., Sch. S., P., M.: **Romanae.**

